

speritatis flumine maximopere periclitari et in salutis prædones incidere, viam mundo contrariam elegit, adverso paupertatis et asperitatis fluxu navigans, ut nos idem facere doceret. Idem Athanasius, cum Alexandriae degens inter Arianorum insidias securus degere non posset, quinque annis in sicca cisterna, et post iterum quatuor mensibus in paterno sepulcro delituit. Non aliter Dei Filius, cernens in hoc mundo quam plurimos undequaque animarum insidiatores et insidias, non in regium aliquod palatium aut domos divitum, ubi insidiatores illi grassantur, divertit, sed in stabulum et speluncam, velut in tutiorem locum: non quod sibi metueret, sed ut nobis consuleret, et securum quoddam asylum inter insidias demonstraret.

III. Interrogemus præsepe. Id respondebit sic venisse Christum, ut viam cæli nobis monstraret, humilitatem scilicet. Quis enim locus humilior et vilior præsepi, bestiarum disco? Jam vero omnes quidem homines natura duce ascendere conantur, quia nimirum homo animum celestem, ad alta et æternam felicitatem natum habet. Verum eam homines non quæsierunt via recta, sed plane devia. Honores appetebant, follicantes titulos quærebant, servorum pompas, vestium apparatus, curruum et equorum splendorem, alios cubito trudebant, et se intrudebant, ad honores et dignitates. At enim ventos sequebantur et confusionem potius curasque capiebant, quam felicitatem. Dei igitur Filius viam nobis ad felicitatem illam monstraturus, en ubi pedem posuit, in præsepi et infimo loco; quod et postea verbo docuit, Lucæ XIV. *Cum vocatus fuisset ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Quis non in præsepi novissimum locum videt? Hæc nimirum est illa sedes David, de qua angelus ad Matrem ejus: *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus?* Ubi quæso sedet Christus in sedē David, quando in Bethlehem jacuit in præsepio inter bovem et asinum? Sic enim et David in eadem Bethlehem pavit primo, oves patris sui, omnium fratrum suorum minimus et contemptissimus; ita ut pater ipsum negligeret, nec in cuneum vocaret, quando ex illo Samuel regem electurus et victurus erat, velut omnium inhabilissimum ad regnum, et Samuelis oculis indignum: et tamen ipse præ aliis assumptus est, et in regem unctus, I. Regum XVI. Hanc igitur viam ad veri honoris culmen, velut omnium certissimam, ostendere nobis Christus voluit, quam etiam tenuit David, dum insidias Saul

lis declinaret. Postquam enim se coram eo sic humiliavit, ut se *canem mortuum et pulicem* appellaret, Saul inde argumentum exaltationis ejus capiens, ait: *Nunc quia scio, quod certissime regnaturus sis et habiturus in manu tua regnum Israel,* I. Reg. XXIV. Christus ergo se ad præsepe abjecit, quia novit humilitatem certissimam esse viam ad honores cæli comparandos. Quis enim melius nosset viam cæli, quam qui eam percurrit et de cælo venit? Et quis, duce hoc relicto, contrariam potius eligere præsumet? De Alexandro Magno referunt, quod cum ipse se vice leniter incurva incederet, proceres et aulici certatim eum imitati sint; ipsum in se quasi effingentes, apud Tymp. in spec. boni magistratus, sig. LXIII. Nos videmus regem nostrum reclinatum et quasi incurvatum in præsepe; quomodo igitur poterit se aliquis sub tam humili rege erigere in altum? Hinc exclamat S. Bernardus, serm. I. super Missus est: *Erubescere cinis: Deus se humiliat, et tu te exaltas!*

IV. Quæramus ex fœno. Id respondet pauperem venisse Christum, ut, spreto mundo, virtutem sectemur. Quid enim fœnum designet, clamat Isaias, capite XL. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum et cecidit flos.* Idem clamat Christus in præsepi, dum in substrato sibi fœno jacens, premit et calcat omnia mundi bona, honorem, opes, voluptates, potentiam, velut inania et fluxa bona, qua hodie florent, cras siccantur, aut per se arescunt: vicissim vero virtutes solas et merita, velut sola vera et solida bona comparanda docet, humilitatem, patientiam, obedientiam, abstinentiam, mortificationem. Si enim non hæc, sed illa, solida et vera bona essent, cælestis ille mercator utique, his relictis, illa sibi comparasset. Stravit ergo hic et proscripsit mundum cum concupiscentiis suis, fere ad eum modum, quo Rudolphus imperator sub vili et grisea sua tunica virtutem gerens, stravit et confundit fastum Ottoraci, regis Bohemorum. Hic enim cum Rudolphi griseam tuniculam, una cum suis aulicis splendidissime incedens, sæpius derisisset, factum est ut, bellum cum Rudolpho gerens, vinceretur, et regno exueretur. Hoc ergo ut recuperaret, supplex ad Rudolphum venire coactus est. Accessit ægre quidem, ornatu tamen pro more splendido. Rudolphus cum a suis moneretur, ut non minore sed potius majore corporis cultu Bohemum, utpote regio ornata venturum, exciperet, tenuit; et obsoleta sua grisea veste procedens in publicum: *Hæc mea, inquit, vestis sæpius ab ipso derisa, nunc ipsum deridere debet;* (refert I. Lipsius, libro II. monit. polit. capite XVII.) indicans non in vestibus, sed

in virtutibus splendorem quarendum esse. Simili et sapientissima quidem inventione Christus mundi fastum sui fœni vilitate stravit. In ejus rei confirmationem venerunt ad præsepe reges, et prostraverunt se ad pedes ejus. Atque hinc testatur initio citatus Daniel, c. VII. datam esse Dei Filio potestatem, honorem et regnum super omnes gentes.

V. Interrogemus pannos. Hi respondent, sic eum venisse, ut amorem suum erga nos contestaretur. Ad quid enim, putatis, adeo se expoliavit Dominus cæli et terræ, ut non nisi pauculos panniculos ad tegendam nuditatem corporis sibi reservaret, nisi ut amorem suum erga nos ostenderet? Coaluerat amicitia inter Jonatham et Davidem, fortuna perquam impares. Jonathas enim filius regis Saul, videns Dominum esse cum Davide, *dilexit eum sicut animam suam.* Sed quia parum firma ac fida amicitia videri ea poterat, utpote inter regis filium et pastorculum, Jonathas, ut de suo stabili et sincerissimo amore non dubitaret David, quid egit? Non pecunias aut prædium ei donavit, sed expoliavit se splendidis vestibus suis et armis, usque ad balteum (id erat insigne militum, quo ablato exauctorati censebantur) deditque ea Davidi, I. Reg. XIX. Itaque bonus Jonathas pene nudus, sola interula vestitus remansit, amore sui Davidis. Videte jam amorem Dei erga hominem, (quanta inter hunc et illum disparitas!) Adeo nihilo minus dilexit hominem Dei Filius, ut se ipsius gratia prorsus expoliaret, nec nisi viles panniculos sibi retineret: suas porro vestes, sapientiam, merita, gratiam, gloriam hominibus transcriberet, usque ad balteum, hoc est, usque ad sui derisionem et contemptum; ita ut cum iniquis reputari non dedignaretur, quo suum erga illos amorem firmiter contestatum faceret. Derisum fuisse Jonatham ita nudatum a sodalibus, equidem nescimus: quod si tamen factum est, amoris Davidis id posthabuit. Spretum fuisse Filium Dei a Judæis, nec receptum pro Messia propter ejus paupertatem, scimus. At hoc nihil movit Christum. Valde enim amantis est spernere confusionem. Non igitur videmus quanto vicissim amore in Christum rapit debeamus, qui amore nostri tantam paupertatem usque ad nuditatem et sui confusionem voluit amplecti? Magni quidem amoris erga sponsam suam Elisabetham indicium demonstravit Ludovicus Landgravius Thuringiæ, cum a quodam milite suo Walthero de Wargila rogatus, an afficeretur ad Elisabetham sponsam sibi designatam, respondit: *Vere si hic mons a radice usque ad verticem totus aureus esset, eum tamen contemnerem præ amore Elisabethæ.* At vero Elisabetha,

meo sane judicio, plus ultra progressa est in reciproco ipsius amore. Cum enim defuncti viri corpus aspiceret, coram proceribus Thuringiæ dixit inter alia; orans ad Deum: *Tu scis, Deus, quod ejus desiderabilem presentiam omnibus hujus mundi deliciis et gaudiis antefeream optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate et mendicitate vivere, si per tuam voluntatem frui ejus contubernio licuisset,* ut in ejus vita, apud Surium, 19. nov. Sed parva sunt ista. Contraxit Christus cum natura humana quoddam matrimonium, et quidem indissolubile prorsus per omnem retro æternitatem. Ergo ut de ejus erga nos amore dubitare nullatenus possumus, non solum aureos montes ingentium divitiarum, quas sibi comparare poterat, præ amore nostri contempsit, verum et toto vitæ tempore in paupertate et mendicitate vitam ducere voluit. Quis hic, amore Dei, in reciproco sponsi nostri amorem non exardescat? Amore liquefiat? *Quo pro me vilior, eo mihi carior est,* ait de ipso S. Bernardus, sermone I. de epiphania. Idem et nos dicamus: Quo nostri amore vilior, eo nobis charior erit, et manebit semper.

CONCIO IV.

PORTENTA INCARNATIONIS CHRISTI.

I. Rubus ardens incombustus. — II. Sol stans in medio cæli ad vocem Josue. — III. Vellus Gedeonis auro perfusus. — IV. Sol retrocedens decem lineis, ostendit Dei bonitatem et misericordiam.

THEMA.

Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Luc. II.

Quando Deus magnum aliquod portentum ostendit statim id mortales sedulo investigare conati sunt. Sic Exodi III. cum ostensus Moyse fuisset rubus ardens, nec tamen incombustus, miro hoc spectaculo permotus: *Vadam, inquit, et videbo visionem hanc magnam:* rursus, I. II. Paralip. c. XXXII. Babylonii sub rege Merodach territi portento, quod designarat Deus Ezechie regi, ad confirmandam ægro valetudinem, quando sol decem lineis seu horis retrocessit, adeoque diem triginta duo horarum effecit, (ut velut S. Augustinus, lib. II. de mirabilibus, c. XLVIII. S. Dionysius Areopag. ep. ad Polycarpum, alique) per legatos interrogarent de hoc portento, cur et quomodo accidisset. Stupenda hæc portenta hodie

acciderunt, necnon alia plura his similia. Eamus igitur et videamus visionem hanc magnam. Mitamus nostros legatos, voluntatem, memoriam et intellectum, interrogatum super his portentis, qualia ea fuerint: dicamus cum pastoribus: *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est.*

I. Portentum primum fuit Moysi datum, Exod. III. pascenti greges in deserto: rubus ardens incombustus. Significavit is miram et stupendam Dei in incarnatione potentiam, qua naturam divinam et humanam in Christo ita univit et unitas conservavit, ut divina humanam non consumeret, humana divinam non obscuraret. Atque hinc S. Cyrillus contra Eutychetem probat in Christo naturas integras et inconfusas. Ignis enim, cum sic elementum subtilissimum, purissimum, subtilissimum, levissimum, efficacissimum, Deum clare representat, qui est simplicissimus, purissimus, lucidissimus, altissimus. Unde Persæ et Chaldæi in errore tracti, ignem pro Deo coluerunt. Ad hæc, Deuter. IV. dicitur: *Dominus Deus tuus ignis consumens est*: rubus vero, cum sit vilis, fragilis, spinosus, naturam humanam, quæ et ipsa vilis, mortalis, fragilis et undique miseris circumdata est, belle representat. Jam videte, quale sit hoc miraculum. Primo, ignis et lignum fragile, inflammatione aptissimum, simul sunt, et faciunt unum quemdam globum, nec tamen unum ab altero consumitur, aut alteri commiscetur; ita ut rubus non igniatur, seu in ignis naturam transeat, sicut alioquin fit naturaliter, cum lignum aliquod ardet, aut ignis in rubi naturam mutetur. Ita in Christo divina natura humanæ sic unita fuit, ut utraque natura integra maneret et mortalitatem humanæ naturæ Deus non tolleret, sed vere diceretur et esset mortalis, pauper, passibilis, frigere, famere, etc. Secundo, rubus ille in aere visus est a Moyse; lignum igitur rubi ab igne miraculose sustentatum fuit in aere, non ignis a ligno, quod velut grave natura sua deorsum telendit: ita divina natura in Christo per hypostasin divinam sustentavit naturam humanam, grandi miraculo, suppositam non in sua sed divina Verbi hypostasi. Quod fieri posse nec Aristoteles, nec alii philosophi antiqui sciverunt. Tertio, deinde tota SS. Trinitas ita est operata hoc opus, ut non tota incarnaretur, sed solus Filius actionem hanc terminaret. Simile dat S. Bonaventura in tribus hominibus, patre, matre et filio, qui uni ex se induunt vestem. Item in tribus sororibus, quæ faciunt in eadem domo unam vestem nuptialem, induendam ab una earum, quæ sponsa sit, in III. d. 1. q. II. alius in Samsone et parentibus ejus, qui cum ipso descenderunt

Thamnata, ut acciperent ipsi sponsam, ubi tres eam desponsabant, sed unus Samson ducebat, uti Alex. Alex. p. III. quæst. IV. num. II.

Quarto, eadem potentia extendit se ad matrem Christi in qua Christus conceptus et natus est, illæsa ejus virginitate. Christus igitur ignis, virgineus matris uterus rubus incombustus et illæsus erat. Rursum fecunditas in Christi Matre cum ejus virginitate, ignis in rubo ardens, sed non consumens erat, quia virginitatem fecunditas non læsit. Quare merito hanc Dei potentiam prædicavit B. Virgo dicens: *Magnificat anima mea Dominum quia fecit mihi magna qui potens est*; et mox: *Fecit potentiam in brachio suo*. Opera alia, uti creationis, etc. vocantur opera *digitorum Dei*, Psalm. VIII. At opus incarnationis est *opus brachii*, quia omnium maximum, quo majus facere Deus non poterat.

II. Secundum fuit Josue datum, Jos. X. Sol ejus voci obediens et stans in medio cæli integro die, donec hostes suos interneccione deleret. Significabat autem miram Dei in incarnatione justitiam, juxta prædictionem Malachiæ, c. IV. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*. Ostendit autem Dei justitiam. Primo, *asicca* sol ab hominis imperio alioquin liber, hominibus speranti obediit, ac cursum suum sistit; quæcunq; alioquin homo ad cursum solis se accommodare debeat. Ita enim voluit Deus compensare hominis inobedientiam obedientia Filii sui. Unde in sole illo Deus obdivisse homini dicitur ibidem, quia scilicet sol Deum representabat. Debebat homo obedire Deo suo, at obedire noluit; Deus ergo homo factus, obediit homini; et quidem a præsepio usque ad crucem: passus est se ligari, infasciari, in præsepe deponi, postea vestibis spoliari et cruci affigi; ut Dei justitiæ offensæ per inobedientiam Adami satisfaceret per obedientiam Christi, juxta doctrinam S. Pauli ad Rom. V. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi*, prior homo Adam, posterior Christus est. Secundo, dum sol in medio cæli stetisse dicitur tamquam in æquilibrio. Ita enim Deus opus hoc redemptionis temperavit, ut bilancem justitiæ cum bilance misericordiæ in æquilibrio teneret. Punienda erant hominum peccata, tum ex justitiæ exigentia, tum ne dæmones contra eam exiperent, se quidem ob peccatum unicum tam severe punitos et in abyssum abjectos esse, homines autem toties tamque graviter lapsos, impunes abire, adeoque parvos fures suspendi, magnos tolerari. Nec tamen ita punienda erant, ut nulla eis misericordia impenderetur, quia originale peccatum contraxerunt aliena culpa: inde in ac-

tualia prolapsi sunt. Ergo Deus in unam bilancem justitiam imposuit, dum satisfactionem rigidam a Filio suo incarnato exegit: in alteram vero misericordiam, dum eam satisfactionem a non debente, Filio scilicet innocente, sed ex charitate pro nobis pretium offerente, accepit. Rursum quia aliena ex culpa homines ceciderant, voluit eorum debitum alieno ex periculo Filii sui, dissolvere; ut misericordiæ etiam memor esset, dum justitiam exercet, juxta id Tob. III. *Cum iratus fueris misericordiam facies*. Memorabile est, quod de Zaleuco Locrensium, qui Græciæ regionem quamdam incolebant, legislatore scribit Valer. Max. libro VI. cap. V. qui cum legem tulisset, ut adulterii reus utroque oculo privaretur, et filius ipsius adulterii reus damnatus esset; populo filio incolumitatem postulanti, simul et legis pœnam ab illo exigenti ita satisfecit, ut sibi unum et filio unum oculum eruerit, ita: *Se inter misericordem patrem et justum legislatorem partitus*, inquit Valerius. Nihil sceleris admisit, nec admittere potuit Deus vilis, sed nostra in se suscepit expianda: itaque cœlestis Pater partim justum se ostendit, exigendo pœnas a Filio; partim misericordem, mittendo Filium suum, qui pro nobis satisfaceret.

III. Tertium fuit Gedeoni ostensum Judic. VI. Ros in vellus intonsum delapsus, non in aream circumjacentem; post in aream, et non in vellus, in signum quod ipsi, licet homini villosi et rustici, cœlestis auxilium dandum esset, ad gubernandum populum et salvandum ab inimicis. Demonstrat hoc portentum miram Dei sapientiam in incarnatione elucentem. Descendit pluvia in vellus (juxta id Psalm. VII. *Descendit sicut pluvia in vellus*) quando Dei Filius de celo, quasi pluvia saluberrima et rorida, descendit in carnem humanam intonsam, miseris obnoxiam, naturam hominis induendo. Sic ergo primo decentissimam rationem invenit, qua posset pro nobis satisfacere. Ros in aere existens, vel etiam in terram cadens, non est habilis ad lotionem corporis aut manuum, nec ad potum; sed in vellere collectus indeque expressus (quod fecit Gedeon, dum expresso vellere concham rore implevit) et abluere corpus potest, et bibi (quemadmodum de Sillii ducis Veneti conjugis scribit Petrus Damiani, eam non nisi rore corpus abluisse) ita Deus non delapsus in humanam carnem, satisfacere pro humano genere, adeoque abluere nos non poterat, quia nec pati aliquid, delapsus vero potuit. Vellus etiam sine rore nihil abluit: sic etiam homo purus satisfacere Deo non poterat, ob debiti infinitatem quamdam, et quia ipse intonsus, hoc est, peccator erat. Secundo, sic invenit ratio-

nem sapientissimam exuendi suo imperio dæmonem, dum in vellus humanæ naturæ descendens, eo se induit, ut appareret ovis per omnia similis aliis ovibus errantibus, hominibus peccatoribus, cum tamen homo quidem esset, sed peccator non esset: *Omnes nos quasi oves erravimus*, ait Isa. c. LIII. *unusquisque in viam suam declinavit* (ad varias scilicet concupiscentias); *et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: moxque subjicit mediatorem quoque ovem factum, cum ait: *Sicut ovis ad occisionem ducetur*. Oves arietem præeuntem et errantem omnes sequuntur, desilientem, v. g. de ponte aut navi in aquas: ita Adamum secuti sunt errantem posteri ejus. Unde David, Psalm. CXVIII. *Erravi*, inquit, *sicut ovis, quæ periit*. Quo factum, ut tartareus lupus passim eas diriperet. Quis modus reducendi oves? Induit Christus vellus ovinum, et dum incurrit in eum, lupus ille, existimans esse ovem errantem, invenit innocentem et Deum, atque ita suum perdidit, quod habuit in oves alias: quemadmodum perdidit Adam arbores omnes, quæ erant in paradiso, suæ potestati traditas; quia extendit manum ad unam sibi non concessam, sed prohibitam; ita ut in Lucifero impleretur, quod dictum est regi Assyriorum, Sennacherib, Isaia, cap. XXXVII. *Ponam circulum in naribus tuis, et reducam te in viam per quam venisti*, quasi diceret: Quæ lege intrasti in tyrannidem, eadem te ejiciam. Pulchram hujus rei similitudinem describit S. Odilo Cluniacen. in patre S. Maioli, abbatis Cluniacen. Folcherio nuncupato. Is enim, cum ejus ætate circa annum 950. luporum rabies in vicinia vehementer invalesceret et plurima damna inferret, unus præsertim inter eos grandior et sævior, vestivit se aliquando thorace æneo, eique superinduit pelles ovinas, galea quoque sic contacta caput tutatus est, et de nocte sedit eo loco atque ostiolo, quo lupi intrare ad caulam solebant, sociis aliquot seorsim observantibus. Accidit nutu Dei, ut lupus ille grandior primus adventaret, caulam intraturus; is in aditu reperit Folcherium illum, quem ovem esse ratus, invasit, positus in ejus humeros anterioribus pedibus, et in collum ejus morsus infigans. Sed vir mox pedes lupi apprehendit ambabus manibus, et tenet fortiter, at erat robustus, et dorso suo adstrictum defert ad socios: qui in crastinum vivum servatum mactant, et mactatum in trunco suspendunt. Itaque, luporum duce capto et suspensio, reliqui fugati sunt. Prorsus in hunc modum Dei Filius intus divinitate armatus, foris carne humana eam tegens, objecit se Lucifero; qui dum illum invadit et Deum deprehendit, capitur expansis ejus in cruce manibus, et captus ipse triumphatur ac

traducitur, ut ait s. apostolus Paulus ad Coloss. II. sicque ipsi et sociis dæmonibus tyrannis in homines adempta est. Videte sapientiam!

IV. Quartum Ezechiae regi ægroto datum, in signum restituendæ valetudinis, IV. Regum, cap. XX. sol retrocedens decem lineis seu horis in horologio, ostendit immensam Dei omnipotentis bonitatem et misericordiam in incarnatione nobis exhibitam. Decumbebat genus humanum lethali ægritudine, quemadmodum et Ezechias; et nemo erat, qui ei mederetur.

Igitur cælestis sol Dei Filius, ut medelam ipsi afferret, et valetudinem confirmaret, decem lineis seu gradibus retrocessit, quando infra decem gradus naturæ rationalis, novem scilicet angelorum choros, et infra hominem denique se humiliavit; ita ut jam non solum infra angelos, sed etiam infra omnes homines jaceret in stabulo, quasi non homo, sed brutum aut vermis esset; prout ipse asserit Psalmo XII. *Ego autem sum vermis et non homo.* Aliis enim hominibus diversoria concessit, ipse in stabulum divertit. Jam vero quantum hoc miraculum! Sol retrocedit tam longe propter hominis sanitatem. Quis non pro magno haberet, si imperator aut rex e. curru vel palatio suo descenderet ad ægrum mendicum? *Jacentes paralytica*, ait mellifluus doctor, Sanctus Bernardus, serm. prim. de adventu: *Divinam non poteramus attingere celsitudinem: propterea Salvator et medicus animarum descendit ab altitudine sua.* Quale spectaculum fuit videre Sanctum Eduardum Angliæ regem ferre mendicum claudum in humeris suis de palatio suo in templum Sancti Petri Londini! Quanto majus est, quod Rex regum fecit homini tam misero! Multum fuit quod Alexander Magnus Lysimacho vulnerato, suo diademate vulnus obligavit. At quanto plus est Deum ad hominem se demittere, et ejus gratia hominem fieri! *Si humanus dicitur*, ait Sanctus Augustinus, sermone de verbis apostoli, *qui in domo suscepit hominem, quam humanus est, qui in seipso suscepit hominem?* Satis fuisset umbram in horologio retrocedere, ipse sol retrocessit. Satis multum etiam fuisset, si Deus omnipotens angelum misisset, verum ipsemet de cælo descendit.

Postquam ergo cum pastoribus vidimus hoc grande signum ac portentum, superest ut cum eis revertemur domum glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audivimus et vidimus.

CONCIO V.

GLORIA CHRISTI NATI QUAE IN RE-CERNITUR.

I. Cernitur in bove et asino, populo Hebræo et gentili, seu in bonitate Christi. — II. In pannis et vilis vestitu, seu in paupertate. — III. In stabulo et vilissimo electo loco, seu humilitate. — IV. In tenero et infantili ejus corpusculo, seu humilitate. — V. In fœno, seu contemptu mundi. — VI. In præsepio, seu humili majestate.

THEMA.

Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Joan. I.

Legimus I. Regum, cap. IV. nunc summi sacerdotis Heli, cum audisset arcam Dei a Philisthæis captam, socerum ac virum suum mortuum esse, tristi nuntio percussam, præ dolore peperisse, et vocasse filium quem pepererat, *Ichabod*, hoc est, *ubi gloria?* seu, *Non gloria.* Quod in primis de arca intellexisse creditur, quasi diceret: Ecce arca fœderis prius tam honorifico loco, et asservabatur et honorabatur; nunc est in manibus gentilium, ubi sine omni honore et veneratione, imo summa cum ignominia tractatur. Deinde, de ipsius nurus filio Ichabod, quasi diceret: Ecce Filius hic meus, dum in utero meo gestaretur, erat gloriosus, velut nepos summi sacerdotis et futurus ejus hæres: nunc est ingloriosus, nihil aliud habens nisi pauperulam unam matrem, destitutus, patre, destitutus avo. Video passim in sacris libris Christi nativitatem appellari *gloriam*. Ita enim Isaias, cap. XL. de ipso loquens, ait: *Revelabitur gloria Domini*, et cap. VI. de eodem agens: *Gloria Domini super te orta est*, inquit. Ecclesia heri cantabat: *Mane videbitis gloriam ejus*: verum dic nobis, Isaiâ, dic Ecclesia, dic Joannes, ubi gloria in Christo nato? Erat quidem prius arca hæc in gloria cælesti et loco honorificentissimo; at nunc est in stabulo, sordido et fœtenti. Fuit quidem parvulus iste in sinu æterni et summi Patris; at nunc cernitur desertus, nec habet nisi pauperulam matrem. Jacet in stabulo, in præsepio, inter pecora, pannis involutus: *Ubi gloria?* Certe hic non apparet gloria. Verum, auditores, attendum est quod Sanctus Joannes velut aquila perspicaces habuerit oculos, Isaias etiam prophetarum oculatissimus fuerit. Viderunt ergo illi gloriam in infante Christo, quam nos non videmus, sed investigare conabimur.

I. Cernitur ejus gloria in bove et asino, inter quos commoratur. Bos populum Hebræum, jugo legis pressum et ad ambulandum tardum; asinus gentilem, stupidum et insipientem, nullaque

ratione domitum, significat. Ad homines ergo, et quidem tales, descendit de cælo Deus, dominus ad servos, creator ad creaturas suas, tam viles et abjectas, Deus ad boves, et asinos, hoc est, ad peccatores. Quanta hæc Dei gloria! Nemo non laudat et gloria dignum reputat factum Alphonsi sapientissimi et potentissimi Aragonum, Neapolis et Siciliae regis, qui dum iter ageret, forte suos anteedens et agasorem gentem ac prætereuntem opem implorantem videns, equo desiliit, et asinum ejus in cæno hærentem, una cum ipso extraxit. Non decuisset, istud regem, si alii adfuissent qui juvarent miserum: sed quia nemo aderat, ea res ipsa non gloriam solum, sed etiam favorem Campanorum, prius ipsi parum addictorum, conciliavit, Panormi, l. I. rerum ejus gestarum; qui addit se cum aliis aulicis huic facto advenisse, et regem luto aspersum extersisse. Quid erat genus humanum, nisi ejusmodi asinus onere miseriarum pressus, et in cœnum peccatorum prolapsus? At cum nemo eum extrahere præterquam ipse Deus posset, en tibi Filium Dei ex equo gloriæ suæ descendentem in humana miseria lutum, asinumque eripientem. Quanta hæc ejus gloria!

II. Cernitur in pannis, quibus involutus est. Quid enim est hoc, quod rerum omnium Dominus in tam pauperi et humili vestitu veniat in hunc mundum, et appareat inter servos suos, velut illorum omnium servus abjectissimus? Scio Dei gloriam in majestate ejus consistere: sed quando ea majestas in gratiam subditorum se quodammodo velat, et ad infima demittit, multo magis elucescit; sicut cum Moyses velavit rutilantem faciem suam, ut accedere ad ipsum, et colloqui possent Hebræi, Exodi, XXXIV. Debebat Christus nato ea gloria, quam in translatione sua monstravit: verum quia ad tantam ejus majestatem nemo accedere potuisset, ideo ea seposita, vilibus pannis se vestiit. Sic quandoque rex, ut familiaris cum eo agant subditi, regio splendore deposito, vulgarem habitum assumit. Hac de causa Ludovicus XI. Gallia rex potentissimus, multis victoriis inclutus, miraculo erat hominibus quod non auro sericoque, sed quo splendidiore vestitu alii reges uterentur, eo viliori, ipse gauderet, ut non nisi in lana et bombyce prodiret, nonnunquam asino insidens, apud Fulgos. l. III. cap. VI. Quanto vero plus est Dei Filium cernere in laeris pannis juxta bovem et asinum? Et certe hic fuit scopulus Judæorum, in quo plerique impigerunt, quod credere non possent aut potius nollent, Dei Filium in tanta humilitate et paupertate apparere velle.

III. Cernitur in stabulo, quod sibi elegit, ce-

dens aliis diversoria, cum esset Dominus totius orbis. Celebratur in Alexandro Magno generosum illud factum, quo gregarium quemdam militem frigore torpentem atque obstupefactum in sua sede, foco propinqua, surgens ipse constituit. Quod ubi restitutus sibi vidit miles, territus surrexit. At Alexander: *Persis*, ait, *in sella regis consedissee capitale foret, tibi saluti fuit*, apud Quintum Curtium, l. VIII. cap. X. simile in Julio Cæsare, qui ægro cuidam militi suo C. Oppio cessit hospitium unicum, sibi alioquin destinatum, ipseque sub dio mansit, teste Suet. At quid isti terræ vermiculi sunt respectu Dei, qui urbem ejusque hospitia aliis advenis demisit, ipse extra urbem stabulum seu speluncam sibi delegit? Eo enim direxit parentes suos, qui alioquin, si voluisset, optimum quodque diversorium servare sibi potuisset. Posuit ergo se, in hunc mundum ingressus, postremo loco, ut mereretur post audire: *Ascende superius*. Tunc fuit ei gloria. Magna fuit laus præclarissimo illi duci Hebræorum, Josue, quando in distributione terræ promissæ, sibi omnium vilissimam portionem, urbem Thamatsaraam in loco sterili et graveolenti (unde nomen habet) sitam postulavit a Deo, et elegit, Josue c. XIX. Quod jure miratum fuisse in peragratione terræ illius Sanctam Paulam, scribit Sanctus Hieronymus, in ejus epitaphio. Tanto igitur major gloria est Dei Filio, quanto inferiorem locum in fœtente et horrido stabulo sibi delegit, relicto aliis diversorio. Non adeo magnum est, si rex subdito, utpote homo homini, cedit; at nimis magnum est, quod Deus homini, creator creaturæ.

IV. Cernitur in tenerrimo et infantili ejus corpusculo, in quo vix natus jam velut dux militiæ exemplo suo præit militibus ad virtutem et quævis ardua. Maxima est ducum gloria, cum exemplo suo militant præceduntque in acie. Qualis Alexander Magnus, qui in Persidis regione, nivibus ac glacie impedita, via deserta et invia, iter agens, territis et cunctantibus militibus, primus equo desilit, pedesque per nivem et concretam glaciem ingredi cœpit, sicque milites ad sequendum animavit, Curtius, l. V. cap. XIII. Necnon æmulus ejus Julius Cæsar, qui idcirco tam strenuos habuit milites, quia nunquam dixit eis: *Ite*, sed: *Venite*: nec milites appellabat eos, sed commilitones, Suetonius et alii. Fecere illi hoc quidem, sed non in pueritia, multo minus in infantia. Christus Dei Filius ab infantia incepit milites suos præcedere ad virtutem et labores. Cunctabantur homines aliis se subicere: subjecit se Casaris edicto, cujus ipse Dominus erat. Ambiebant omnes primos recubitus et honorum præ-